

genueflectentes, peccata sua sincere confiteantur, satagere Pastor debet. Primum, enim, una cum quadragesima transit et ad nihilum refert; alterum vero manet, et in praesenti ac futurum animae saluti prodest. Ut, igitur, manentia ac profutura Pastor quaerat, labentia ac futilia, ex corde, spernat!

e) Quoad benedictionem in postrema quadragesimali concione populo impertienda, ne politicis rebus concionator inserviat, numquam satis suadebitur. Ceterum, locorum adiuncta ac consuetudines quae agenda, quae omittenda sint commonstrabunt<sup>1</sup>. Quoad liturgicam vero rationem in his et similibus adhibendam, nuperrimum ius est: *Unicum signum Crucis cum Crucifixo, adhibita formula: Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen*<sup>2</sup>.

454. — Occasione arrepta, quaedam in hoc sacro poenitentiae tempore a Pastore suadenda servandaque recolere haud inutile erit. Igitur:

a) Ut fideles a theatris ac spectaculis publicis abstineant, omni nisu contendat Pastor. Si, enim, [ut inferius explanabimus] his interesse semper periculi, hoc in poenitentiae tempore et scandali plerumque est. Quapropter qui haec cum quadragesimalibus sermonibus permiscet nisi peculiare adsint obligationes [de quibus confessarius dicit] Ecclesiae haud consulere menti pro certo teneant.

b) Immo ut, in quantum circumstantiae sinunt et recta ratio postulat, et a licitis oblectamentis abstineant fideles eos suadeat, quo solitudini mentis rectius validiusque consulentes, ad sacra facilius ipsi trahentur. Poenitentiae, enim, fructuum tempus est, quod, iuxta Ecclesiae voluntatem, transigere oportet.

c) Ut quadragesimale ieiunium suis in paroecianis in honore sit, sedulo studebit Pastor, et quae in re ratio sit mox diximus.

d) Paschatis appropinquante tempore, sedulius, si fieri potest, ad poenitentiae tribunal Pastor se habeat, ut facilius ac commodius confitentibus praesto sit.

e) Puerorum ac puellarum catechismo, sedulam impendat operam, ut SS. D. N. Pius PP. X praecepit:

Parochi, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus quadragesimae, aptis praescriptionibus et hortationibus, adulescentulos ac adulescentulas sic instruant, ut sancta sancte primum de altari delibent<sup>2</sup>.

f) Ut praeter consuetos, alios confessarios festis Paschalibus fidelibus praesto sint, in tempore provideat, ne serius de re decer-

<sup>1</sup> S. R. C. 11 maj 1911.

<sup>2</sup> Encycl. *Acerbo nimis*, 15 april. 1905.

nendo, sacerdotum penuriae caussa, pastorales suae industriae fere ad nihilum redigantur.

g) Si vero paullo ante, vel paullo post Paschalia, *Prima* puerorum *confessio* vel *S.S. Communio* sua in paroecia haberi consueverit, quantas in re impendere debeat industrias, quae de hoc argumento diximus<sup>1</sup> satis superque commonstrant.

h) Tandem, tum in maiore hebdomada, tum per universum Paschale tempus, multum illi laboris sollicitudinisque adesse, pro certo Pastor teneat; quo fiet ut cuncta quae ad sacras rite peragendas functiones in tempore disponat, et pastoralementem in se ipso excitando zelum, ad futuras peculiareque curas facilius sustentandas pareatur. Messis, enim, tempus, evangelicis messoribus perquam optatum est, in quo, quae in laboribus ac humo vere crediderunt semina, in gaudio et exultatione metunt!

455. — Increscentibus hac aetate animarum periculis, cuncta salutaria remedia quae ad fidelium perficiendos mores Ecclesia benigne suggerit adhibenda sunt. Haec inter *Missiones Populares* [seu, ut quidam, inepte, eas appellant *Exercitia Spiritualia*] praecipuam Pastoris attentionem sibi vindicant, quarum necessitas eo evidentior, quo magis apud quosdam christiana observantia exolevit. Qua de re sollicita Mater Ecclesia, huic humanae inconstantiae salutare Sacrarum Missionum remedium opponit, quo pios roborat, languentes erigit, tepidos excitat, frigentes refovet, et cordibus ad compunctionem dispositis, vetustae servitutis iugum excutiendo, ad spiritualem vitam restituit. Tunc diuturna separati discordia in sanctam pacem redeunt, aliena proprietate gravati quae reddere tenentur prompte restituunt, consuetudine prava per annos ligati [Divina suadente Gratia] animos sumunt, et semel ab illius compedibus exuuntur. Ut in credentibus firmetur fides, peccatores ad Patrem coelestem redeant, Sacramentorum frequentior promoveatur usus, singulorum aetas, sexus et conditio ad sui status implenda officia doceantur ac incitentur, universa sacrarum Missionum series disponitur. Quanta in paroeciis in quibus hoc salutare rite servatum est opus, morum conversio secuta sit, experientia universim docet.

456. — Sed ut haec omnia feliciter assequantur Pastores necesse est ut:

a) in primis et ante omnia, de huius christianae observantiae instrumenti praestantia persuasus Pastor sit. Missionibus, enim, extraordinariis proprii Parochi auctoritatem labefactari et in contemptum

<sup>1</sup> Cfr. pag. 396 et seq.

verti, vanum praeiudicium inaneque socordiae effugium censi debet. E contrario, eius iurisdictionem iisdem potius fulciri, auctoritatem crescere, pastorem levare operam, et gregem ac Pastorem inter [in utriusque commodum ac salutem] pastorale vinculum arctius constringi, quotidiana experientia docet. Si, enim, haec praeiudicia animo suo adeo Pastor foveret, ut non propriae voluntati, sed Ordinarii tantum iniunctioni hac in re studeret, quum plura obstacula practica missionariis provenirent, huius pii exercitii fructus in discrimine magno adducerentur. Missionum, igitur, tempore paroeciam ne deserat Pastor, sed eius exercitii adeo primus diligenterque adsit, ac in omnibus ita se gerat, ut missionarios ad eius esse nutum, opinio in fidelibus foveatur.

b) Missionarii vero:

I. non dominorum ad instar, sed ut Pastoris, [ad tempus, et extra ordinem] coadiutores se habeant.

II. In rebus quae paroeciae administrationem respiciunt ne se immisceant.

III. Cum populo dum agunt, de eo quod laudandum esset disserant; quod sibi censura dignum videtur [inconsulto Pastore] discrete tacere prestat.

IV. Si quid vero corrigendum occurrerit, comiter illud Pastori indicent eiusque opinionem audiant, vel si necessarium iudicaverint, de eo Episcopum certiore faciant.

V. Ne in propria agendi ratione, ullam, vel levissimam, turpis lucri speciem praeseferant, diligenter cavebunt. Si vero, missionis occasione capta, collectas aggredi, vel libros pios, Rosaria aliaque similia sive per se, sive per alios, missionarii vendere velint, praevium Pastoris assensum impetrent.

His, enim, omnibus servatis quae a missione in Parochi auctoritate pertimescenda sunt detrimenta, haud profecto habebuntur.

c) Universa ad Missionem spectantia [et in singulis peculiaribus] cum concionatorum Superioribus in tempore statuere, et quae ad rem necessaria sunt rite disponere oportet, ne in externis ordinandis rebus missionarii detenti, spirituali fidelium bono haud ex integro operam impendere possint. Ut, igitur, diversorum exercitiorum horarium in tempore praefiniatur, ac fidelibus distribuatur, diversa loca in quibus illa haberi debent praeparentur, eorum *ordo* et *coordinatio* firmetur, ac ut crux quaecumque sub sacrarum Missionum finem populo benedicatur quaeque publico in loco [earum in sanctam memoriam] erigatur, pareatur, uno verbo, ut tum missionum antecedentia, concomitantia ac subsequen-

tia omnia rite ac adamussim a Pastore consulantur, necesse omnino est.

d) Antequam Missiones habeantur, prudenter quidem [dum licet] sed etiam satis de peculiaribus paroeciae necessitatibus concionatores edoceat Pastor, ut ipsis perquam prudenter, sed et efficaciter subveniundo, qui sperantur fructus, facilius assequantur. Quae, igitur, loci consuetudines sint, quae in personis, in verbis ac operibus vitanda, quae, e contrario, agenda, obstacula arcenda, scandala eradicanda, pia devotiones instaurandae fovendaeque sint, concionatoribus indiget Parochus. — Hic vero si in missionum cursu aliquid in re emendandum vel adiungendum perspexerit, benigne, comiter, prudenter, sed et diligenter, oratoribus, vel [aptius] eorum Superiori ac Moderatori recolebit. Generatim, enim, cum eo potiusquam cum singulis concionatoribus de Missionis rebus agere opportunius erit, quum ab eo directe ipsi dependeant, cui peculiarem obedientiam praestare tenentur.

e) Si in quacumque verbi Dei dispensatione sancti ac apostolici requiruntur homines, in Missionum praesertim ministerio pernecessarium, in quo tum in se, tum propter rerum locorumque circumstantias, hoc sanctificationis medium inepti ad nihilum redigunt. Tales, igitur, tantum qui in apostolicis adhibendis industriis periti ac in pastorali ministerio diu versati, qui plane, perspicue ac perquam populari ratione divinum verbum nuntiare valeant, et in omnibus exemplares ac mortificati sint, ad tantum exercendum ministerium assumantur. Concinne, enim, eleganterque compositi sermones, oratoriae ineptiae, nimis altae disquisitiones subtilitatesque et ita porro, quae in *conferentiis* et, forsitan [certa quadam proportione facta] in quadragesimalibus sermonibus, locum habere possunt, in Missionibus omnino decent, in quibus, dum fidelium mentes praedicator alloquitur, et eorum praecipue cordibus verba facere debet, ut christianam observantiam in ipsis eo magis confirmet, et si dilapsa instauret restauretque.

f) De quaedam pia exercitiis quae theatrorum mores sapiunt, et alia quae anachoretarum ac poenitentium usum redolent, num a concionatoribus vel ab aliis habenda sint, potiusquam missionariorum praxis, locorum consuetudines dicent. Ubi vero haec haud satis sint, perquam prudenter instituantur, ne, potiusquam in fidelium bonum, eorum in detrimentum vertant. Publicae, igitur, oratorum ac confraternitatum sociorum flagellationes, SS.mi Crucifixi aliarumque imaginum mirae ac subitaneae apparitiones, lucis ac scenica joca, et ita porro, quae quasdam apud Gentes assolent, an utiliter adhiberi possint paroeciae traditiones populique mores ac studia commonstrabunt.

g) Missionum tandem effectus, ad nihilum rediguntur, si has praehabitas sedulo excolere Pastor omittat. Quapropter, quos christianae salutis fructuum missionarii sererunt semina, tanta vigilanti ac experta cura Pastor foveat, ut quae ipsis impedimenta obvenire solent de medio auferendo, titubantes animas confirmet, inexpertas adiuvet, audentes nimis moderetur et ita porro, quo tantum dominici agri incremento consultum erit. Si, enim, qui a Missione christianae observantiae fructus sperantur haud obtineantur, interdum, a missionariis derivare potest, attamen, saepe nimis, potiusquam seminatores, agricolae in caussa sunt. Semper vero primi benefaciendo ac a languoribus eorum sanando omnes transeunt; manent autem alteri, quos diuturnitatem fructus perennem redere decet. Ad rem quaedam Missionum renovatio sequatur, quae, ut plurimum, a locorum consuetudine [heic quoque servanda] praefinitur.

457. — Prout fidelium bono sacris Missionibus consulitur, ita, quamvis minus solemniter ac frequentius, Exercitia Spirituality proprie dicta, ad eorum salutem iuvare plurimum, constantissima ac laetabunda experientia tam amplissime docet, ut eorum usus numquam satius suaderi possit. Quapropter ut, dum licet, ac praesertim in civitatibus, his salutaribus mediis fideles omnes, necnon ex his operarii<sup>1</sup> utantur, quam maxime suadendi, et ut hisce suam Pastor impendat operam, enixe consulendum. Paschatis, igitur, appropinquante tempore vel alio per annum, triduana saltem vel septidua Exercitia Spirituality in quibus, ignatiana methodo ac ratione adhibita, a peccatorum suorum emendatione, ad Christi D. N. imitationem eiusque amorem, perquam logice, proficue, ac nullo negotio, fideles trahentur, in paroecia habeantur. Ea, enim, horum Exercitiorum peculiaris ac numquam satis laudanda ac praecleara virtus, pretium ac honos sunt, quae si quis negligat, quamvis elaboratos ac ex sese optimos proferat sermones, quum inordinate ac absque logico nexu in medium adducat, horum salutare effectus, perquam difficulter assequetur. Ceterum quae de Missionibus diximus, heic quoque prae oculis habeantur.

458. — Et de [uti aiunt] conferentiis quaedam recolenda veniunt, qua in re, quum, nostris temporibus haud semper debita servetur ratio, perquam caute Pastor se habere oportet. Quapropter:

a) Quum fidei veritas, non exiguo scientifico apparatu, per eisdem vaferrimos mendacesque inimicos saepe tenaciter oppugnetur, ut hi qui consuetos sacros sermones non audiunt, uberiores de religione

<sup>1</sup> Cfr. epist. Secret. Stat. ad D. Pasi S. I. 6 sept. 1909.

cognitionem hauriant, et eorum fides amplius firmetur, summopere quidem optandum est. Quapropter ut errores refellantur, adversariorum argutiae ac sophismata detegantur, eiusmodi doctrinarum tristes [signanter in vitam sociale] sequelae in luce ponantur, incautorum vero cordibus seductio omnis praecaveatur, per eruditos sacerdotes in civitatibus, [vel saltem magnis in oppidis] religiosas conferentias habere, in quibus Fidei veritates scientifice et clare proponantur ac vindicentur, plurimum confert.

b) At in re scopuli plures devitandi occurrunt, quos ita, paucis, perstringimus<sup>1</sup>:

1. Tale onus non quibuslibet imponatur humeris, sed robustioribus tantum, inter quos et praeclari oratores caute se habere debent.

2. Ne ex nimio conferentiarum usu, praedicationes morales minus aestimentur et in desuetudinem abeant, quam maxime cavendum. Hae, enim, uti primi ordinis et fidelibus perquam necessariae apud omnes faciendae ac, ut plurimum, tantum adhibendae sunt.

3. Hisce dumtaxat in locis, hisce tantum temporibus ac coetibus de quorum vera constet necessitate solidumque speretur emolumentum, [de quo Ordinarii rectius iudicare poterunt] nonnullae conferentiae haberi possunt.

4. Pomposa dicteria, quibus magis speculativa quam practica argumenta, plus ad prophanum quam ad religiosum negotium spectantia, magis figurative quam fructuose evolvuntur, a suggestu penitus exulare oportet. Haec, enim, agendi ratio, si ephemeridum palaeis vel academiarum aulis accommoda, sacra vero dedecet loca.

5. E contrario, ut multo magis in sacra doctrina quam in humanis naturalibusque argumentis, demonstrationes fundentur, satagendum est. Ne vero in aliquorum mentibus errores magisquam veritates imprimantur, plus offendant obiectiones quam satisfaciant solutiones, cum tali soliditate claritateque doctrinae exponendae sunt, ut grave hoc periculum nisu omni devitetur.

c) Cum sacro in loco hae conferentiae habeantur, ab oratore, a Parocho et a Pastore tanta adhibenda est cura ut quae domum Dei decent in discrimine haud adducantur. Si quem, enim, inibi verba facientem, sanctum Christi ac B. M. V. nomen adeo nominare pigeat ut quasi studio ea devitare videatur; si politicae quoquomodo inserviret, ac si

<sup>1</sup> Cfr. S. C. EE. et RR. Instruct. 31 proprio *Sacrorum Antistitum* [1 sept. jul. 1894, a SS. D. N. Pio PP. X in Motu 1900] iterum confirmata.

publicas cum audientibus disputationes ac dialogos institueret, necnon eorum plausus admitteret, domus Dei decorem haud profecto coleret.

d) *Morales sermones uti conferentias* publice praenuntiare, ut fidelium concursus abundantius captetur, num veritati, sinceritati, necnon moralium sermonum bono conferat nemo est qui non videat.

e) Generatim vero in his et similibus conficiendis et ad Ecclesiarum ianuas dein affigendis monitis, tum in personis, tum in rebus, superlativa elogia ac caetera omnia quae populo admirationis et murmurationis praebere ansam possunt, sedulo devitanda, ut simplicitati, veritati perspicuitatiq[ue] inseruiatur. Et de hoc diximus.

459. — Quoad publica contradictoria, *quum spuria eloquentia vel audacia, vel auditorii genus efficiant ut plauditus error super veritatem triumphet fieri possit*<sup>1</sup> rarissime subeantur, et tunc quoque de Ordinariis tantum venia, qui, attentis circumstantiis, de re decernet<sup>2</sup>.

460. — Et de praedicatione[?] in mense mariano habenda pauca dicenda supersunt, in qua, nimirum, quantum, hi qui hanc piam praxim in alteram quadagesimam immutarent, ab eius mente aberrant, monendi sumus: hac, enim, ratione dum eius fructus fere penitus illi conficiunt, et onus fidelibus importabile imponunt. Quum vero de hac pia praxi alibi dicebimus, et quae in re servanda vitandaque sint inibi recolemus.

### § III. — De catechisticis instructionibus ac explanationibus Pianis ordinationes ad instar.

SUMMAE RERUM. — 461. Animadversiones praeviae — 462. Quae in re SS. D. N. Pii PP. X ordinationes habeantur — 463. De catechismo *pueris* tradendo — 464. Borromeana in re ratio practica recolitur — 465. Paedagogica quaedam consilia memorantur — 466. De catechismi *fidelibus* explicatione et ad rem pastorales industriae — 467. De *Religionis Scholis* constituendis.

461. — Sacrosancta Tridentina Synodus ut *saltem dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis paroeciis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et Parentes, diligenter ab his quos spectat edocere curarent et, si opus est, per censuras ecclesiasticas compellerent*, Episcopis iubet<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> S. C. P. F. 8 mart. 1625.

<sup>2</sup> S. C. Negot. Extraord. Instruct. 27 jan. 1902 — Cfr. deliberat. Episcop. Longobard. a. 1910.

<sup>3</sup> Sess. XXIV. c. 2. *De Reformatione*. — Cfr. Ferreres, *L'insegnamento del Catechismo prescritto da Pio X*, Torino, 1908.

Quas Sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV ita complexus est ac distinctius definiuit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant; alterum ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informet*<sup>1</sup>. — *Jure autem* [SS. D. N. Pius PP. X commentat] *sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis, videlicet, habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianae doctrinae tradendae. Non, enim, fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro catechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui, enim, sermo de Sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur quos fidei elementis imbutos iam esse oportet; panem dices, qui adultis frangatur. Catechetica, e contra, institutio lac illud est quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi amodo genitis infantibus... Scimus equidem eiusmodi tradendae christianae doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur, nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores, profecto Sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dant operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor, laborem alium praevium desiderat, scilicet, catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimirum saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis flausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus, animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: Quomodo descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque voluit, et prosperabitur in his ad quae misi illud*<sup>2</sup>... *Si frustra seges e terra speratur quae semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae?* — *Ex quo colligimus, iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sa-*

<sup>1</sup> *Etsi minime*, 7 febr. 1742 — Cfr. Pius IX, *Encycl. Nostis*, 8 dec. 1849: Clemens. X. 14 jun. 1761: S. Alph. *Homo Apostol.* tract. VII, n. 35 et 55: S.

C. C. in *Hortan*, 20 aug. 1744: S. C. P. F. 20 nov. 1785, 13 april. 1736; Ferreres, *Op. cit.* <sup>2</sup> LV, 10, 11.

*crae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino*<sup>1</sup>.

462. — Ad catechesim tradendam in genere quod pressius attinet aptiora quam SS. D. N. Pii PP. X apostolicae praescriptiones recoland possunt<sup>2</sup> quae sic audiunt:

a) *Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas, de iis quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant*<sup>3</sup>.

b) *Idem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.*

c) *Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeeptionibus et hortationibus, adolescentulos et adolescentulas sic instruant ut sancte sancta primum de altari libent.*

d) *In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonicè instituat cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae Christianae<sup>4</sup>. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.*

e) *Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, Scholae Religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.*

f) *Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione, Parochi universi caeterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut, quadriennii vel quinquennii spatio, totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeeptis Ecclesiae. — Haec Nos quidem,*

<sup>1</sup> SS. D. N. Pii PP. X encycl. *Acerbo nimis*, 15 april. 1905. <sup>2</sup> Id. Ibid.

*Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque diocesis, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur*<sup>1</sup>.

Ex his apostolicis praeeptis, tres tradendi catechismi praecipuos modos ac rationes SS. D. N. Pii PP. X praecipisse in comperto est, de quibus per partes agendum.

463. — Catechismus ad pueros et puellas in primis et ante omnia recensendus venit, ille, nempe, qui communi sub nomine et a fidelibus uti tale sumitur, quique iterum in quatuor potest modis haberi, scilicet:

a) Catechismus communis seu festivus, in quo sequentia consideranda veniunt:

I. Huius praeepti universalitatem, qua fit ut nemo ex Pastoribus exemptum se existimare possit. *Parochi, enim, universi ac generatim quotquot animarum curam gerunt*<sup>2</sup> ad pueris puellisque catechismum tradendum, et quidem *nullo excepto*<sup>3</sup>, adstringuntur.

II. Huius praeepti dies considerandi, nempe *diebus dominicis ac festis per annum*<sup>4</sup> habenda catechesis est. Qui, igitur, absque ulla Ordinarii dispensatione, in primis tantum et minime in alteris diebus catechismum ad pueros traderent, huic praeepto haud rite satisfacerent.

III. Tempus in hoc praeepto solvendo insumendum, *integrae horae*<sup>5</sup> spatium definitur.

b) Catechismus ad primam confessionem et Confirmationem praemittendus *statis temporibus plures per dies*<sup>6</sup> haberi debet; de quo alibi diximus.

c) Catechismus quadragesimalis *feriis omnibus*<sup>7</sup> habendus, de quo quae de communi catechismo tradimus, haec quoque locum obtinent.

d) Catechismus quo ad Primam Communionem pueri et puellae parantur, de quo alibi monuimus.

464. — SS. D. N. Pius PP. X. de catechismo tradendo perquam sollicitus, et media ad hoc utilia decernit, et in primis *Doctrinae Congregationis* erectionem in singulis paroeciis iubet, quam, ubi viget, com-

<sup>1</sup> Encycl. *Acerbo nimis*, cit. — Cfr. SS. D. N. Pii PP. X epist. ad Archiep. Paris. 8 sept. 1903, 25 jan. 1912; ad Em. Arcoverde, 6 jun. 1911; Secretar. Status ad D. Remés, 27 sept. 1911.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Id. Ibid.

<sup>4</sup> Id. Ibid.

<sup>5</sup> Id. Ibid.

<sup>6</sup> Id. Ibid.

<sup>7</sup> Id. Ibid.